DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

Medicamentis Adſtringentibus:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL GARLAND, ANGLUS.

Rationalem quidem puto medicinam eſſe debere, inſtrui vero ab evidentibus cauſis.

CELSUS.

Ad diem 18 Julii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM TYPIS ACADEMICIS.

M,DCC,LXIII.

ERRATA.

P. 3. l. 7. *pro* GLEDILOTHUS *lege* GLEDITSCH.
P. 11. l. 21. *pro* SCHWERKE *lege* SCHWENKE.
P. 19. l. ult. *pro* Pract. *lege* Prax.
P. 22 l. ult. *pro* CARTHEUR *lege* CARTHEUS.
P. 23. l. 1. *pro* bonos fore variolos *lege* bonas fore variolas.
P. 34. l. penult. *pro* mal. de fem. *lege* mal. des fem.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30543198

PATRI OPTIMO

IN PERPETUUMQUE COLENDO

JOANNI GARLAND

ARMIGERO,

Provinciarum CANTABRIGIÆ, HUNTINGTONIÆ, ac Inſulæ ELY

VICECOMITI;

OB PIUM AMOREM ET AMICITIAM SUMMAM

QUO A PRIMIS ANNIS

AD HUNC USQUE DIEM AB EO CULTUS EST,

QUÆQUE

DUM SPIRITUS HOS REGIT ARTUS

MEMORIA NUNQUAM EXCIDENT,

SED UT OMNIA AD EJUS VOLUNTATEM,

CURA PIA ANIMOQUE GRATO AGAT

SUMMUM STUDIUM CONFERET;

NEC NON

VIRO PRÆCLARO

GULIELMO CULLEN,

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS,

SOCIO DIGNISSIMO,

MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ CHEMICÆ

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI CELEBERRIMO,

NEC MINUS MORIBUS QUAM

INGENIO ET LITERIS SPECTABILI,

OB OPTIMA IN STUDIIS REGENDIS CONSILIA,

ET ALIA INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA,

ITA UT PRO ALTERO SIBI PARENTE FUERIT;

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

MONUMENTUM ET PIGNUS AMORIS,

DICATAS VOLUIT

SAMUEL GARLAND.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

Medicamentis Adſtringentibus.

QUAMVIS et morbos et morborum cauſas exploratas habeat aliquis, mederi tamen neſciet, niſi auxiliorum quoque naturas perceperit. Quin et tempora, quibus dari medicamenta conveniat, et alias res ignorare, minime decet. Hinc materiae medicae, quae haec omnia docet, addiſcendae neceſſitas. Cujus ego partem aſſumpturus, de Medicamentis Adſtringentibus, de quorum uſu in magna diſſentione et opinionum varietate ſcriptores et fuerunt et ſunt, dicenda pauca judicavi *.

QUIBUS

* "SI ullus remediorum uſus (ait HOFF.) (*a*) cum prudentia "et exquiſita providentia inſtituendus, certe adſtringentium. "Experientia enim indies docet ab ejuſmodi improvide datis "conſtringentibus, in compeſcendis nimiis ſanguinis fluxibus, in-"numera damna et noxa induci, ac perquam facile inde aegro-"tantes lentas febres, cachexiam, tumores oedematoſos, affec-

"tus

(*a*) HOFF. Op. Gen. vol. 1. p. 447.

Quibus morbis et temporibus dari adſtringentia, quibus contra vitari conveniat, cuivis dicturo, difficilia multa occurrant, mihi vero prae caeteris, neceſſe eſt. Neque enim in uſu medicinae multum verſatus ſum, exiguam et tenuem ſcientiam, in re, ubi quam plurimâ opus eſt, corraſi, ſcribendi anguſti limites ſunt. Quas ob cauſas, ſi minus limatum hoc opus futurum ſit, ſi errores et alia vitiorum genera, quae juvenilia ſcripta amant, utique irreptura ſint, haec mihi, Praeceptores et Condiſcipulos meos, facile condonaturos, ſpero.

Adstringentia dicuntur quae in corpora ita agunt, ut partes eorum propius inter ſe adductae arctius cohaereſcant.

Manifesta

"tus ſpaſmodicos, colicos et hypochondriacos incurrere, poſi-
"tive adſtringentia, quae eminentioris ſunt virtutis et auſtero
"ac fixiori elemento agunt, naturae humanae inimiciſſima ſunt;
"quinimo veneni cujuſdam naturam in eo aemulantur, quod
"graviſſimam noxam valetudini inferunt." Adeoque adſtringentia quidam medici timuerunt, ut ab eorum uſu omnino deterruerint. Sic Ætius (*a*) "Communis error (ait) et muli-
"ercularum et barbitonſorum, quin et indoctorum medicorum
"omnino eſt confugiendus, adhibentium adſtringentia, quae nullo
"tempore vel occaſione unquam in uſum venire poſſunt; ad-
"ſtrictis enim locis aut notabiliora membra invadunt moleſta re-
"crementa, aut retenta in malum habitum, aut hydropem
"laborantes, ducunt."

Fateor haec medicamenta, quanquam rite ſuoque tempore adhibita magnam utilitatem habent, tamen ſecus adhibita peſſima eſſe futura.

(*a*) Ætius lib. xvi. 66. animadver.

Manifesta haec vis eſt in vivarum animantium corporibus.

Sed et eadem, extincta quoque corpora ſic afficere, probat cortex quercinus quotidie in depſendo corio adhibitus. Idem efficiunt varia alia in diverſis terrarum orbis regionibus, ut in ſcriptis academiae ſcientiarum Berlinensi, Gledilothus oſtendit.

Eadem aliis nominibus alii ſcriptores adpellarunt; Roborantia, Conſtringentia, Arctantia, Contrahentia, Σκληροτικα ſive Indurantia, Occludentia, Stegnotica, Styptica.

Si quando in humores agunt, Condenſantia, Incraſſantia, Coagulantia nominata ſunt. Quae vocabula, cum alia, idem quod adstringens, alia etiam diverſum ſignificent, omittenda, ne in errorem aliquando ducant, et adstringens ſolum uſurpandum putavi.

Adstringentium varia genera ſunt, quae tamen ad haec revocari omnia haud inepte poſſunt; acida, ſpiritus ardentes, alumen, cuprum, ferrum, plumbum, atque inde confecta. Huc accedunt plurima ex plantarum genere, quorum meminit Bo-

ERHAAVIUS*. Poſtremo terreſtria quaedam humorem prompte bibentia adſtringere credita ſunt.

Ex his bolorum nonnulli, quia ferrea vel aluminoſa poſſident, adſtringunt, illis privati hanc proprietatem amittunt. Caetera terreſtria, ferri aut aluminis nihil habentia, non adſtringunt. Ubi ſummo corpori extrinſecus ſicca admota ſunt, humorem bibendo efficere quidem poſſunt, ut propius inter ſe partes adducantur, et quaſi adſtringentibus annumerentur. Ita ſicca argilla linguae impoſita eam corrugare et conſtringere pari modo videtur, ac quidvis propria natura id faciens. Verum ſiccitatem hoc, non ipſam argillam facere, eo manifeſtum eſt, quod eadem, ſi cum tanto humoris jam coiit, quantum capere valet, vim adſtrictricem viſam protinus omnem amittit †. Hoc quoque ſenſiſſe BOERHAAVIUM video. Unde ſequitur, ut hae terrae, ſi cum aqua prius conjunctae, quod fieri neceſſe eſt, cum intro accipiuntur, et purae, ſunt, nullo modo adſtringere, ſi ſupra dictorum

* Inter vegetabilia ea omnia quae cum marte vitriolo commiſta tincturam nigram et teterrimam producere ſolent.

BOERH. de vir. med. p. 1727. p. 200.

† "UT ſunt cretae atque boli, nec non terra, figulinae omnes "et argillaceae, quo vero plus exuſtae, et tenues ſunt eo magis "abſorbent. BOERHAAV. de vir. med. p. 203.

rum aliquid habent, pro data parte, queant. Adeoque, cum vel incertiſſime vel non omnino adſtringant, jure hoc tempore rejecta video.

Adstringentia hoc ſigno certiſſime dignoſcuntur. Guſtanti alicui corrugandi et contrahendi vis manifeſta ſentitur. Partes palati propius inter ſe accedunt, et aſperae ex inaequalitate fiunt. Perpetuum hoc omnibus eſt. Labrorum vaſa, per quae, ex tenuitate ſuperjectarum membranarum, ruber ſanguinis color facile refulſit, nunc denſata eum amplius conſpici non ſuſtinent. Hinc ſolita rubedine labra privata palleſcunt. Indicium hoc minus certum eſt.

Alio ſigno ſe adſtringentia proferunt, ut liquores ex ferro paratos nigro colore afficiant. Hoc ex plantis conſtantia ſola, ſed, quantum ſcio, univerſa, complectitur.

Perpetua quoque haec omnibus nota videtur, ut putredini reſiſtant. Terrarum, quas adſtringere ante negavi, plurimae, ut Pringleus (*a*) experimentis patefecit, ſola ſeptica eſſe, et putredinem fovere inveniuntur. Tamen experimenta, quae fidem faciant omnia adſtringentia

(*a*) Appendix to the diſeaſes of the army.

tia putredini reſiſtere, nondum per omnia tentata ſunt. Sed pleraque hoc facere dicendum eſt.

Perpauca corpora ita adſtringunt, ut nulla alia proprietas accedat. Supra memoratorum nonnulla aliis quam adſtrictrice inſigniora ſunt, in quibus plurima eorum vis medendi poſita eſt. Ita ſpiritus ardentes adſtringunt, ſed cum multo manifeſtius ſtimulent et ſtupefaciant, quod *ναρκοῦν* Graece dicitur, inter ea quae adſtringunt vix numerabuntur. Ergo neque hos neque acida ſermo de adſtringentibus futurus comprehendet.

Reliquorum quoque multa aliis viribus pollent, pro quibus vel praecipi vel rejici in morbis conſueverunt. Ex cupro et plumbo parata inſigniter, ſed non pure adſtringunt, illud ita etiam ſtimulat ut ſupra infraque purget; hoc venenum corporibus ſaepe nociturum habet. Ex plantarum genere res adſtringentes alia etiam praeſtant, uva urſi et cortex peruvianus, amarum, rheum, ſtimulans quiddam ſimul alvum purgans, reliquorum denique multis ſimilia fiunt. Quae omnia, prout iis proprietatibus pollent, ita praetermittenda ſunt, ſola adſtringens natura attingenda.

Ex vegetabilibus adſtringentia fixae admodum naturae ſunt, nec adſtringens quicquam deſtillatione edunt. Unde deſtillata hoc tempore nec immerito rejecta ſunt.

Sola ex viſceribus terrae aut plantarum generibus petita adſtringunt, ex animantibus nihil.

Quas corporis partes adstringentia afficiant.

Proxime, quas corporis partes adſtringentia afficiant, dicendum eſt. Quodque ad ſolidas partes attinet, in ſimplices an vivas agant, inquirendum. Alia plurima medicamenta videmus, abſque vitae principio, nihil vel diverſa agere. Opium niſi in vivum corpus nihil agit. Adſtringentia extinctorum corporum fibras contrahere, et omnia, quae in vivis corporibus, efficere videantur. Neque tamen efficiunt, ſiquidem vivorum corporum diſſitas procul partes etiam contrahunt, quod nulla ratione facerent, ſi in fibras inanimes ſolas agerent; etenim partes, quibus eſſent admota, ſola afficerentur.

Quod adſtringentia admota diſſitas quoque corporis partes afficiant, duplex tantum ratio

reddi poteſt. Altera ponit ſanguine illa ad diſſita loca deferri: Altera, in ventriculum aut primas vias primum agi, et per conſenſum nervorum caetera deinde loca affici. Quod ſi verum eſt, principio vitae opus eſſe fatendum eſt.

PRIMA opinio probabilis videtur; ſed omnibus rebus perſpectis, falſa, opinor, invenietur. Primum, quod tranſeuntibus rebus a primis viis in ſanguinem aliquantum temporis ſpatium neceſſarium erit. Contra adſtringentia in diſſita corporis, teſte HOFFMANNO*, temporis quaſi puncto ſaepenumero agunt. Quod quidem primam opinionem prope ſolum evertit; ſed et alia non deſunt argumenta. 2. Adſtringentia, ut alia medicamenta, prius dilui, quam ſanguinem ingrediantur, neceſſe eſt; cui deinde commixta aequaliterque cum diſſipata ſint, quantilla pars in quavis una ejus parte ineſſe, certe perexigua poteſt, quaeque efficere, quae fieri videmus, nequeat? Adeoque ſanguinis profuſiones ſiſtere, contractis vaſorum oſculis aut coagulatis humoribus, non valebit. 3. Adſtringentia extrinſecus vaſorum oribus admota ita quidem agere veriſimile

* Mirabile eſt, et forte adſtringens aſſumptum, mox et celerrime in diſſitas etiam partes operari, eaſque conſtringendo nimias excretiones cohibere.

mile eſt, ut et vaſa conſtringant et ſanguinis gluten in cruorem, ora vaſorum commiſſurum, convertant *. Verum ore aſſumpta, aut quovis modo ſanguine delata, ſi in diſtante aliqua parte illum coagulent, ut in reliquis quoque idem faciant, et mors inde ſequatur, neceſſe erit. Adſtringentia ſanguinem ingredi concedo, quanquam obſervationes et experimenta non deſunt, quae in uno eorum ſale chalybis hoc falſum eſſe oſtendant; Utpote cum neque urina neque ſanguis illum diu aſſumentium vel minimam ejus particulam indicaverint †. Vaſa lactea irritabilia admodum eſſe, neque ſtimulantium aut acrium rerum, niſi plurimum dilutarum aut involutarum, patientia conceduntur. Quorum ora, Adſtringentia larga portione data, ſubito conſtringunt, ita ut ipſa ingredi nequeant; vel ſi ingrediantur, chylo coagulando infarctiones periculoſas pariant ‡. WRIGHTIUS Medicus ne minimam ſalis chalybeati micam in vaſa lactea inſinuatam experimentis ſuis comperit.

* HALLER in Elem. Phyſ. tom. 2. p. 125. Mem. Acad. Royal des Sciences. an. 1732, par M. Petit.

† Phil. Tr. an. 1758, p. 557.

‡ Phil. Tr. *l. c.*

Haec omnia mihi probant Adſtringentia ſanguinem ingrediendo non* agere. Aſſumendum itaque principium vitae, in quo actionem, quam quaerimus, conſiſtere veriſimilius eſt. Mirus ille in vivarum animantium corporibus partium conſenſus hujuſmodi eſſe videtur; per quem in diſſita aliqua parte profluentem ſanguinem frigus ſimili ratione, ac adſtringens aliquid, ſupprimit.

Cum Adſtringentia ore aſſumpta ita in ſolidas partes, ut ſupra oſtendi, non etiam in humores agant, eoſdem afficiant parti alicui adjecta necne, proxima deinde quaeſtio eſt.

Omnia ex ſalibus et metallis parata, omnia aluminoſa ſanguinem, ei immixta, coagulant. Quo aliqua ex parte fit, ut vaſorum oribus admota, inde profluentem ſanguinem ſiſtant.

Quid in ſanguine ex herbis Adſtringentia agant, incertius eſt. Si coagulare credenda ſint, multo minus quam foſſilia id praeſtant. Serum ſanguinis, quod omnia foſſilia Adſtringentia coagulant,

* Storkius ex quibuſdam obſervationibus, corticem Peruvianum ſanguinem credit afficere. Sed hae et pauciores ſunt, et incertiores, quam ut noſtram opinionem vellicent. Stork. ann. Med. Vind. 1760. p. 72.

agulant, ſuccus Japonicus nihil coagulare *, cortex granatorum et alia Adſtringentia aliquantum, dicuntur †. Idem hoc FREINDII experimenta a decocto tormentillae et biſtortae factum docuerunt ‡.

LYMPHA vaſis in hydrope effuſa necdum corrupta ſimilis fere liquor ſanguinis ſero eſt. Eam, tormentillae radicem, corticem granatorum et omnem fere adſtringentium naturam, magis aut minus coagulare, experimentis factis accepimus ‖.

IN QUO INTER SE DIFFERANT ADSTRINGENTIA.

ADSTRINGENTIA ex ferro, ſicut ex aliis metallis, aut juncta acido, aut ſine eo ſunt. Si metallina ſine acido dantur, niſi in ventriculo iis acidum occurrat, quieſcunt; ſi occurrit, perinde agunt, ac ſi juncta huic ſali ab initio fuiſſent.

FOSSILIA itaque cum vegetabilibus adſtringentibus jam comparaturus, illa in ſtatu ſalino tantummodo, proponam.

FOSSILIA

* SCHWERKE Haematologia, p. 196. No. 55.

† Ibid. No. 59.

‡ FREINDII Emenalogia, edit. 2. Lond. p. 177.

‖ Experimenta CAROLI WARWIKII in Act. Phil. Anglic. 1744, p. 15.

Fossilia citius in ventriculo diſſolvi, ideoque citius quoque agere, manifeſto videntur. Contra, ex herbarum generibus quae fiunt, ſi nullo ſoluta liquore ſumpta ſunt, niſi longo tempore a liquoribus ventriculi non ſolventur, atque, ut tarde idcirco agant, neceſſe eſt. Si ſoluta ante ſunt quam intro aſſumpta, terra effoſſis haud multo tardius forſitan vim ſuam oſtendent.

Fossilium valentior agendi vis eſt. Haec ſoluta aliquo liquore imbecilliora intus erunt, quam integra aſſumpta; ſic tamen, ut vel integra aſſumpta foſſilibus multo minus valeant.

Cum foſſilium, cui parti admota primum ſunt, eam vis major afficiat, veriſimile eſt, nec experientiae diſcrepans, eandem hanc vim latius per corpora patere; item ſi, ut modo dictum eſt, citius agunt, ad univerſa corpora citius quoque hanc actionem pervenire.

Ex foſſilibus parata adſtringentia difficile vel non omnino concoctionis viribus cedunt: Quo diutius agere in corpora valebunt. Vegetabilium facilius vires ſuperabuntur; quas tamen integra aſſumpta diutius, quam in decoctis aut infuſis, ſervabunt.

Haec diſcrimina, qua ratione eligi adſtringentia oporteat, haud male monſtrabunt, ſervandaque in uſu cum cura ſunt.

Quibus morbis et horum temporibus adstringentia adhibenda, quibus rejicienda sint.

Proxime, quibus morbis et temporibus adſtringentia adhibenda ſint, quibus rejicienda, exponendum; primumque,

Quid in sanguinis profusione intro assumpta faciant.

De adſtringentium uſu in ſanguinis profuſione accerrime inter ſe medici delitigarunt; necdum adeo dijudicata lis eſt, ut claram ego aut dilucidam opinionem interponere queam; aliis ob egregiam eorum utilitatem adhiberi omnino jubentibus; aliis tanquam periculum et perniciem adferentia fugienda clamitantibus.

Varias corporum partes, unde ſanguis aliquando prorumpat, et varias prorumpendi cauſas dinumerare; quando adſtringentium petendum ſit auxilium, quando eorundem pernicies fugienda ſit, exponere, immenſi laboris et noſtro ingenio majoris eſſet. Communes tantum adſtringentibus

bus leges aliquas, per quas in ſingulis rebus regamur, attingere decrevi.

Ubi ſanguinem praeter naturam fluere cöegit naturalis quaevis ejuſdem excretio ſuppreſſa, omnis adſtringentium natura nocebit. Inſolito loco effuſus humor, niſi naturali excretione reſtituta, non eſt reprimendus. Ita ſuppreſſis ex quavis cauſa menſtruis, ſolitiſque temporibus per ulcus quantumvis ab utero diſtans, ſanguine viam ſibi faciente; ſi quis eum prius prohibuerit, quam reſtituta naturalis excretio ſit, cum certo ſane periculo id fecerit. Itaque adſtringentia, ubi inſuetos exitus ſanguis affectat, tum demum parceque danda erunt, cum in naturales ille curſus regreſſus, recta jam viae regione exeat. Sed et aliae medendi rationes etiam huic praeſtant *, quas noſtrum non eſt attingere.

Neque ſubito ſanguis reprimendus eſt, qui in effluendi per aliena loca jam conſuetudinem pervenit, tametſi nulla excretio impedita cauſam dederit,

* Sanguinis ſolito loco exeuntis ſuppreſſio quid faciat, cupientes ſcire, ad Hoff. de Haemor. orig. et curat. et alia in ejuſdem operibns plurima, relego.

dederit, ne cum pari id periculo, ac naturali aliqua excretione occluſa, fiat *.

Hic pro hominis corpore, magiſque aetate, aut affectibus comitibus, medendi ratio varianda eſt. Si plenum corpus eſt, vena ſecanda, frigida ſumenda, parte affecta ſanguis avertendus, affectuſque vaſorum ſpaſmodicus saepe comitans ſedandus. Haec ratio ſaepe morbum finiet. Qui ſi non ex toto finitus, ſed multo utique lenitus ſit, adſtringentia mitiora, parcius, perque aliquantum temporis ſpatium miniſtrata, eum penitus tollere valebunt.

In omni ſanguinis profuſione, alvus mollis quam dura potior eſt. Adſtringentium diuturnior uſus eam plerumque cogit. Quod ne fiat, adjungi eam reſolventia oportet. Quibus utique opus non erit, ſi, ut interdum fit, ab initio ad finem adſtringentia facilem alvum ſervant.

Cum

* "Interim revera etiam ex adverſo adſuetae haemor-"rhagiae quando temere impediuntur, omnia tum ſenſu, tum "ſucceſſu et eventu graviora, quam ipſae haemorrhagiae fue-"rant, poſt ſe trahunt." Stahl. Theor. Med. ver. Hal. "1737, p. 515.

Eadem Riverii quoque ſententia eſt. "Sic etiam ſanguis, "qui ſine febre ex conſuetudine fluit, cohibendus non eſt, ſed "naturae arbitrio relinquendus.

Cum ſubitum homini exitium ſanguinis, niſi ei mature ſuccurſum fuerit, jactura minatur, neque ad locum affectum aditus eſt, ut vaſa circumligentur, adſtringentia ore protinus aſſumenda, eaeque res, quae alias eorum uſum vetarent, temnendae, inſtantium affectuum ſola ratio habenda. Adſtringentiſſima ſive foſſilia, ut ex ferro et alumine parata, ſive vegetabilia, eo uſque danda, dum inſtans periculum depellatur, et hoc depulſo ponenda; ne corpus nimis conſtrictum in aliud periculum incidat.

In corporis quoque habitum intuendum eſt. Si plenum et robuſtum eſt, ſecanda vena ita eſt, ut ne in iis quidem, qui minus plenum habitum habent, hoc ſit pertimeſcendum. Siquidem ſanguinis profuſionem febrilia ſaepe mala comitantur, quibus et ſuccurrere ſanguinis detractio, et profuſionem reprimere ſolet.

Contra, ſi plenum corpus morbum neque fecit, neque ſanguis citatus eſt, ſed ideo hic effluit, quod vaſa debilia eum retinere nequeunt, ut iis aliquando evenit, quibus reciſo aliquo membro opus fuit, ſanguinem noſter Monrous pater mittendum, fluxus, qui nondum deſiit, ſiccandi cauſa, negat, danda adſtringentia affirmat. "Longe enim maxima pars," inquit "quibus "artuum

" artuum majorum aliquis reciſus eſt, imbecilli, " macie confecti, atque ex tumoribus aut ulceribus " veterantibus magis minuſve hectici ſunt; eo- " rundem hominum adeo vaſa reſoluta, adeoque " tenuis ſanguis eſt, ut inter curandum innu- " merabilia hunc oſcula caeca diſtillent. San- " guis igitur miſſus exiguas ejus in corpore reli- " quias vireſque conſumit, et duplicem profuſionis " cauſam auget. Ergo ego corticem Peruvia- " num aliquoties de die dari, ſimul rubrum vinum, " quod Britanni *Claret* appellant, calefactum, " cum cinnamomo, mace vel nuce moſchata, " cibis vero adjici aromata et vinum, jubeo".

Ubi juniori et pleno alicui profluit ſine febre ſanguis, hic omnino ſecta vena eliciendus, corpus refrigerandum eſt. Si febris eſt, adſtringentibus, dum illa deſinat, abſtinendum.

Sanguinis e naribus profluvium, quod grave nimis non eſt, ſaepe adeo non nocet, ut venturis alias malis ultro occurrat. Quod ideo non eſt comprimendum* †.

* Stahl. Theor. p. 541.

† In ſanguinis e naribus fluxu Hoffmannus, "Quando" ait, " ſanguinis ordinaria per nares evacuatio ſupprimitur, ſive " per adſtringentia externa, et interna, ſive nimium refrigeranti- " tia, dolor capitis, vertigo, aurium tinnitus, ophthalmia, " otalgia, eriſipelas capitis, angina, anguſtia pectoris in a- " dultioribus, etiam apoplexia ſupervenire, ſolent.

Omnis recens ſanguinis profuſio multo tutius, quam ea quae inveteravit, ſupprimitur. Sed ne hic quidem adſtringentia, niſi omnibus rebus perſpectis, ſolicitanda ſunt. Ubi cauſa, evidens necdum ſublata, eſt, fruſtra et cum periculo interdum dabuntur. Ita mulieri, quae multos jam menſes uterum geſſit, ſi ex hoc ſanguis exit, neque ejuſdem inciſa vena detractio, neque tenuis victus, neque quies malum ſuſtulerunt, quam primum pariendum eſt. Etenim aliqua cauſa ſecundas, quas vocant, infantis intus velamentum ab utero, venulis membranuliſque dilaceratis, diduxit, ut adſtringentibus, niſi ſanguinis jacturam ad perniciem uſque augere velis, abſtinendum omnino ſit.

In aliis recentibus profluviis corpus hominis ſpectari debet. Si plenum id eſt, larga ſanguinis vis, inciſa vena, educi, et quicquid, quo minus ille ad partem affectam confluat, efficere poteſt, tentari. Quod ſi fruſtra hoc factum eſt, fruſtraque refrigerantia data ſunt; ſi nihilo ſecius premere et inſtare omnia perſeverant, ad adſtringentia decurri, eaque quam proxime parti affectae imponi, et conquieſcente demum ſanguine, omitti. Mitiora horum genera, aliquamdiu deinde data, forſitan efficacia eſſe poſſunt *.

In

* Junk. conſp. med. ther. pract. p. 29. Hoffm. *l. c.*

In ſputo cruento ancipites adſtringentium effectus ſunt. Subito ſanguinis rejectionem prohibentia, maximorum malorum turbam concitabunt. Quorum certiſſimum eſt, ut aut ſanguinis copia major, in pulmonibus cumulata, iterum atque etiam gravius, rejiciatur, aut in phthiſin pulmonum morbus tandem deſinat. Ergo inter ſanguinem quam maxime effundendum ab illis certe cavendum eſt. Qui cum in eo jam eſt, ut conquieſcat, neque ullus cumulati in pulmonibus ſanguinis amplius jam metus eſt, leviter adſtringentium parvae portiones datae, reſoluta vaſa multum roborabunt, ac ne redintegretur morbus, efficient.

Sanguis criticis naturae temporibus effluens, aegrum levaturus, nulla artis ratione retineatur; cujus utique ſi immodica vis effuſa eſt, ut peſſimum quodque jam in metu ſit, corrigendum hoc vitium adſtringentibus eſt. Sed perraro hoc fit, etenim nullo hominis periculo incredibilis ſanguinis perire vis poteſt. Proditum ab Avicenna memoriae Riverius ait, libras quatuor ſanguinis hoc modo profluxiſſe, neque robur inſigniter, tamen eſſe imminutum*.

De

* Riverius Pract. Med. p. 228.

De Adstringentium in sanguinis profluvione extrinsecus impositorum usu.

Pauca de eorumdem, in ſanguine vulnerum ſiſtendo, adſtringentium vi dicendum eſt. Sanguinis ex vulneribus exeuntis ſiſtendi duplex ratio eſt, ſcilicet vel vaſorum ora contrahendi, vel ſanguinem ipſum coagulandi. Utraque ratione caetera adſtringentia agunt. Cui tertia quoque accedere videtur, ſiquidem ex herbarum regno quae veniunt, ſi trita ſumuntur, cum poroſa corpora ſint, fieri poteſt, ut ſanguinis partem abſorbeant, atque, ut reliquus ſtagnet, et ad vaſculum occludendum coeat, efficiant.

Sic exeuntem reprimi ſubito ſanguinem ſaepe non expedit (*a*). Quod tamen ſi omnino faciendum eſt, adſtringentium plurimorum efficax ad id ſatis vis eſt. Sed cum nulla in re caeteris auxiliis praeſtent, nulla iis adhibendi fere erit neceſſitas.

Ubi vaſorum magnorum nullum laeſum eſt, ſiccum linum cum idoneis faſciis impoſuiſſe ſatis eſt.

(*a*) Heister inſtit. cheirurgh. Amſt. 1739, p. 76.

eſt. Recentibus hoc vulneribus SHARPIUS chirurgus aptiſſimum eſſe voluit, quippe quod, ſtyptico quovis alio pulvere aut liquore, ſanguinis fluxum tutius componat.

SI ex magno aliquo vaſe ſanguis profluit, adſtringentium anceps et incertum remedium eſt. Si aditus ad eas eſt, apprenſas arterias circumligari tutiſſimum eſt.

QUID IN ULCERUM CURATIONE ADSTRINGENTIA AGANT.

HERBARUM, quae vulnerariae dictae ſunt, plurimae de numero adſtringentium ſunt. Has ad carnem nutriendam et ulcera eo citius ſananda haud inepta eſſe ſcriptores ſuſpicati ſunt. Quibus tamen minus jamdudum credi, nec immerito forſitan, coepit. Siquidem decoctorum, quae vulgo fuerunt, nullum ita herbarum virtute refertum eſt, ut multum profuturum putandum ſit. Contra, ſi vel magis adſtringentia adhiberentur, vel eadem ipſa virium ſuarum, cum liquoribus in quibus concoqui ſolent, plus communicarent, aliquid actura eſſe, non prorſus deſperarem.

IMBECILLIS

Imbecillis et ſolutis corporibus tarde ulcera admodum ſaneſcunt. Fierique poteſt, ut caetera adſtringentia, elaſticitatem roburque fibrarum augendo, inflammationem puri conficiendo neceſſariam faciant, factamve in majus alant. Certe ſanguinem evidenter citari ab iis ſaepe cernimus. Adſtringentia bonum pus facere prius non intellectum eſt, quam cortex peruvianus, cum in ulceribus foedis tum in variolis, ſuppurationem maturare cognitus ſit. Quem adſtringere manifeſtum eſt, et quanquam aliis etiam proprietatibus pollet, mihi tamen vim adſtringentem, ſuppurationem in variolis, maxime efficere veriſimillimum eſt. In Germania enim pure adſtringentia, ut radix tormentillae, eodem hoc conſilio dantur (*a*). Atque etiam credibile eſt eundem corticem puri faciendo eo habiliorem eſſe, quod adſtringenti ejus proprietati aliae jungantur, cujus rei tamen ratio difficilis redditu eſt.

Hunc corticem in variolis optimum facere pus multiplex medicorum experientia docuit. Tritus dari, ſi fieri poteſt, oportet, manuque, prout res poſtulet, benigna. Monrous ſenex audientibus nobis experimentum retulit, quod illum optimam parere ſuppurationem variolorum, ubi natura omnia procedunt, oſtendit. Cuidam homini,

(*a*) Cartheur. mat. med. vol. 1. p. 400.

hominí, cui omnia bonos fore variolos praedicebant, neque pejorem affectum ullum minitabantur, corticem dedit; ſextoque deinde die ſuppurationem perfectam obſervavit, quod tam brevi tempore ſine auxilio fieri non conſuevit. Unde colligi licet, corticis actionem, in adjutanda puris confectione, conſiſtere, verique ſimile eſt, univerſa adſtringentia eâdem proprietate magis aut minus praedita eſſe. Verum cum incerta ratione agant, tempora quoque, quibus dari conveniat, incerta ſunt. Si ſolida roborando et elaſtica reddendo, inflammationem faciunt, et factam nutriunt, tum maxime danda ſunt, cum ſolidae partes imbecillae, et languidus ſanguis, ad inflammationem puri creando neceſſariam excitandam, parum valent. Variolis quo tempore datus cortex maxime opituletur, incerti ſumus.

Ubi ſuppuratio parum procedit, nec id ipſum aut nimia ſanguinis vis, ſtatuſve inflammatorius, quod interdum fit, fecerunt, dari ille conſuevit. Itaque, ubi nimia ſolidorum reſolutio in cauſa eſt, quod ulcera parum ſuppurent aut ſaneſcant, quaevis adſtringentia optime pus movere, ideoque quod perditum eſt, optime reſtituere videntur.

Quid

Quid in gangrena adstringentia efficiant.

Quibus corporibus et ſolida et humores putuerunt et corrupta ſunt, ea gangrena afſligi dicuntur. Adſtringentia putredini contra reſiſtere, et vel incipienti occurrere, vel inceptam ſolvere ſupra dicta ſunt. Quorum plurima in variis vitae artibus contra exanimarum rerum putredinem multum poſſunt. Nonne igitur eadem, humani quoque corporis eidem vitio, opitulari credendum eſt.

In gangrena humani corporis cortex Peruvianus ſumme laudatus eſt. Cujus utilitatem adeo experientia firmavit, ut ſingula dinumeranda non videantur. Cumque hic morbus omnium velociſſimo pede ſeſe inferat, graſſetur et curſum ſuum perficiat, primum in eo eſt, corticem adhibere, quaeque aliis in morbis hoc vetent, ne ſubito homo juguletur, omnia temnere. Tritus ore accipi, lociſque affectis decoctus admoveri debet, gangrenam ab eo per os aſſumpto ſanatam multa teſtantur. Adſtringentia ſanguine ad partem aliquam affectam delata agere jam ante negavi. Nec corticem ſic agere veriſimilius eſt, qui qua ratione partis diſtantis putredini obſtet, difficilius dictu

dictu eſt; neque enim cortex mihi, neque aliud quidvis adſtringens ore aſſumptum, gangraenam, ſanguine eò delatum, ſuſtuliſſe, potiuſque per conſenſum id feciſſe, videtur. Ut in vulneribus et ulceribus, ita hic quoque eadem adſtringentia, ſolidis elaſticitate et robore firmandis, inflammationem pus deinde moturam excitant, quo ab integris partibus gangraenoſae ſeparentur.

De Adstringentibus in abdomen in ascite immissis aliasve in hydrope adhibitis.

Παρακεντησιν quam Graeci dicunt, non aſciten ſanare, ſed pro tempore tantummodo levare, diu medici plorarunt. Paucis ab hinc annis in cavum abdomen adſtringentes liquores, Anglus quidam chirurgus immiſit, ut vaſorum exhalantium oſculis ab iis contractis, lympha eò effluere deſineret. Quod conſilium, nec, ut opinor, immerito, ubique omittitur, ut protinus monſtrare conabor.

Asciten quanquam imbecillitas ſolidorum interdum, tamen alia cauſa multo ſaepius facit.

Tactus in aliis hominibus externus, alia cadavera inciſa, originem morbi in impeditis humoribus, et duris jecoris tumoribus conſiſtere, et aliorum abdominis viſcerum, demonſtrant. Quibus obſervationibus ſi credendum eſt, ſupra propoſiti conſilii omittendi cauſa in promptu erit. Si vaſis officientia liberumque ad cor ſanguinis reditum prohibentia morbum fecerunt, quamdiu haec manent, morbus redeat neceſſe eſt. Et quamvis exhalantium vaſorum ora roborata et compreſſa ſint, tamen humores a tergo uſque impediti, perruptis cito illis, majori quam ante vi, in abdomen cavum effluent.

Nec impeditis quae modo dixi ſolis, haec ratio Adſtringentia in abdomen immittendi nihil prodeſt, ſaepe etiam obeſt; ſed poſito aliquando in imbecillitate totius corporis morbo, aeque nihil agit. Fruſtra enim vaſorum exhalantium ora roboras et adſtringis, niſi quae pariter totum corpus ſic afficiant, intro ſimul aſſumptis, funditus originem mali tollis. Tamen hoc ſolum hydropis genus eſt, in quo haec immittendi ratio, exercitatione addita, et corpus roborantibus ore aſſumptis, ullo modo prodeſſe queat. Idemque raro incidit, rariuſque exploratum eſſe poteſt, nullum viſcus cum tumore induraviſſe. Quinetiam ipſum hominis incidendi, et liquores infundendi moleſtum negotium eſt,

nec,

nec, quae inde mala oriri poſſint, periclitari ultro oportet. Quas ob cauſas jure hoc inventum rejiciendum eſt.

Cum antiqui, tum recentiores, uno ore conſentiunt, impedita duriſve affecta tumoribus abdominis viſcera, id hydropis genus, quod ασκιτην Graeci nominant, ſaepiſſime, ut ſupra dictum eſt, efficere. Quod ubi fit, adſtringentia in inciſum abdomen inſinuata, quod dictum quoque eſt, perniciem certam inferunt. Eadem ne ore quidem tutius accipiuntur, impeditas uſque partes ita magis impedientia, ut nulla arte expediri deinde queant.

Quando aſcites, aut aqua inter cutem, ανασαρκα hoc Graece dicitur, ab imbecillitate corporis profecta ſunt, nec duri cujuſquam tumoris ulla ſuſpicio eſt, recte corpus roborabitur. Adſtringentia utenda ſunt; quibus ſolis cum male credatur, ad frictionem, urinam moventia, aliaſve liquidas excretiones excitantia, decurrendum eſt (*a*).

In pectoris hydrope, cujus ſaepe vel cauſa, vel comes impeditus pulmo eſt, eadem nihil aut etiam male agunt (*b*).

In

(*a*) De his conſulendus Monrous in hydrope eſt.

(*b*) River. Med. Offic. Gen. p. 78.

In iis hydropis generibus, ubi aqua in pelliculis colligitur, ab adſtringentibus experientia abhorret. Nec, ut nobis concepta hujus morbi ratio et natura eſt, utilia fore credenda ſunt.

Quod ad univerſa hydropis genera pertinet, adſtringentium rarior uſus eſſe debet. Si quid impeditum eſt, nocent; ſi ortus ex imbecillitate morbus eſt, ita prodeſſe poſſunt, ſi amara et alia rite roborantia adjecta fuerint.

Quid in diarrhoea et dysenteria adstringentia faciant.

Diarrhoea et dyſenteria, ut Graeci dicunt, certis inter ſe notis parum diſtinguuntur. Equidem nullum ſignum, quo dignoſcantur, perpetuum ſcio. Ac ne plurium quidem comparatio, ut altera ab altera diſcernatur, ſaepenumero facit. Diſcrimina a ſcriptoribus memorata haud ſatis clara mihi videntur.

Ubi duo morbi quam diverſiſſimi ſunt, ut alvum nimia fructuum copia aſſumpta reſolverit; dyſenteria autem a putridis vaporibus, quales caſtra infeſtare ſolent, oriantur, manifeſta ſane diſcrimina ſunt. In illo alvus ſolutior et liquidior,

ſtercus

ſtercus naturali colore, quaedam ventris murmura, ac tormina, eſſe poſſunt. In hoc alvus exigua ſed frequens, limoſa et ſpumea reddit, ſimul tormina cum teneſmo torquent. Quae omnia PRINGELIUS pro certo dyſenteriae et proprio ſigno aſſumpſit.

SYDENHAMUS febrem in inteſtina verſam dyſenteriam appellat. Neque id mihi, quod febrem neque habuit, neque habet, dyſenteria poſſe eſſe videtur. Semperque huic morbo febris vel initio ſupervenire, vel aliquibus poſt hoc temporibus, credenda eſt, ut nulla res certius a diarrhoea illum diſcernat.

IN utroque morbo ante omnia vomitu et alvi ductionibus materies rejicienda eſt. Quod adſtringentia cum non faciant, fruſtra, et interdum etiam cum periculo, dabuntur.

IN principio quaedam recte dantur adſtringens aliquod habentia. Quae tamen aliis virtutibus multo ſunt inſigniora; ſcilicet rheum et ipecacuanha, quarum haec adſtringentis aliquid habere dicitur, illud cum pleriſque ordinis ſui plantarum manifeſto habet. Sed rhei, quod et alvum ſolvit, et pro adſtringente mox agit, duplex in dyſenteria eſt utilitas. Neque idem prius adſtringit, quam materies ita ejecta ſit, ut hoc ipſum

ſum nihil periculi ſequatur. Verum tamen, ut ſumma ejus vis in alvo ſolvenda poſita eſt, ita in medio nobis relinquendum eſt. Ipecacuanha quoque, quae minime, ut modo dixi, adſtringit, vomitum maxime excitat, et hunc ſequentia alia commoda adfert, etiam minus quaeſtionem attingit.

Utriusque hujus morbi initio adſtringentia omnia ommittenda ſunt (*a*).

Supra infraque prius purgandum eſt, ita tamen, ut vomitu ex toto ſaepe non ſit opus. Poſt, ubi materies omnis ejecta fuerit, alvumque ſolutam teneat tantummodo canalis alimentarii infirmitas, mediocriter adſtringentia caute data, quod morbi reliqui eſt, optime ſolvent.

Si longa torminum mora corpus admodum infirmum reddidit, inteſtina reſolvit, et tunicam horum villoſam abraſit, Pringelius parvas et crebrius datas ipecacuanhae rheive portiones, una cum adſtringentibus, maxime juvare oſtendit. Adſtringentibus adjecta opiata, ut noſtri in ſua Pharmacopoeia praeceperunt, ſummam in torminibus

(*a*) Curationem diarrhoeae non incipias per adſtringentia, nam introducas viſcerum et inteſtinorum obſtructiones difficile ſolubiles, quibus tamen ſuccedit hydrops pertinax. Bagliv. op. om. pract. Ed. non. Ant. 1715, p. 108.

nibus utilitatem praeſtant. Poſt ſanguinem jam miſſum, ſi opus hoc eſt, et primas vias rite purgatas, egregiam eorum opem ipſe obſervavi.

Dysenteria liberati in eam rurſus recidere facile ſolent, cujus periculi avertendi cauſa, totum corpus, maxime inteſtina, adſtringentium genera roborabunt. Cortex Peruvianus, quem horum omnium roborantiſſimum eſſe experientia docuit, omnibus eſt anteponendus. Nunquam adſtringentiſſima in hoc morbo, ſemper levius id facientia, qualia ſunt ex plantis confecta, darique parvis ſimul portionibus, oportet. Contrarius huic uſus in utroque morbo exitialis ſaepe fuit.

Quo modo mucosas et similes excretiones, maximeque in gonorrhoea et fluore albo, adstringentia exsiccent.

Adstringentium, in mucoſis excretionibus, ſicut in ſanguinis profuſione, uſus in dubium vocatur, certe, quibus dari temporibus conveniat, non bene diſcernitur.

Primis gonorrhoeae temporibus, cum ardet urina, inflammatio premit, urethra dolore

torta deorſum retroque retracta, diſtenditur, ſanguis mitti, frigida dari, vitarique adſtringens omne convenit. Quibus tamen ipſis temporibus, ſaccharum ſaturninum, accerrime adſtringens res, interdum eſt adhibitum. Quod utique prudens medicus vitabit, et propriam empirico, qua ſe ſtolide jactet, temeritatem relinquet *.

Post ubi jam multum inflammatio decrevit, magnaque ex urethra materiae vis fertur, tuto magis adhiberi Adſtringentia licebit. Verum etiam nunc rarius tentanda ſunt, praeſertim, ſi mercurio et idoneis aliis auxiliis interea morbus paret; perſanare enim ſine illis plerumque contingit.

Novissimis demum temporibus, cum omnis inflammatio cum ardore abiit, jamque, praeter craſſam et albeſcentem materiem, nihil fluit, ſi datus homini mercurius eſt, certique ſumus, nihil labis prioris ſupereſſe, adſtringentia aut balſamica recte dabuntur. Hic complura ex adſtringentibus decocta praecepiſſe Astrucium video. Quae ſi parum profecerunt, acrius jam adſtringentia res requiret, cavendum tamen, ne ſubito nimis fluens materies ſupprimatur, paulatim id faciendum

* Cautiſſime adhibeantur, doſique minima, praeſertim ſaccharum ſaturninum, cum ab omni noxa non vacat, Astruc de morb. vener. vol. 1. p. 264.

ciendum eſt. Neque affectorum vaſculorum, niſi oppido imbecilla ſunt, ipſis oſculis adſtringentia adjicienda ſunt, ne ſic curantis temeritas peſſimum exitum habeat *.

Quibus urethra graviter exulcerata eſt, iis neque adſtringentia, neque balſamica prodeſſe Storkius affirmat †.

Si gonorrhoeam ſimplicem inveterantem demulcentia aut balſamica non vicerunt, ſtyptica et adſtringentia vocanda in auxilium ſunt. In gonorrhoea, quae fruſtra mercurio curata eſt, pulverem ex adſtringentibus, alumine, vitriolo, ceruſſa et terreſtribus quibuſdam confectum, a Du Vernoio inventum, laudat Astrucius. In ure-

* "Deinde adhibendas perparum," ait Astrucius, "injectiones adſtringentes in vaginam in foeminis, in urethram "in viris, aliiſque id genus pulveribus ſtypticis, vitriolicis, a-"luminoſis, &c. quibus ſolet tum urethra morboſe conſtringi. "Unde gravis ſtranguria, quae plerumque pediſſequa eſt". Aſtruc. l. c.

† "Injectiones adſtringentes conſolidantes, et praeſertim "ſaturninae ſumma cum cautela evitandae ſunt. Hae enim "peſſima ſymptomata producunt. Etenim teſticuli, inde ſae-"pius intument, fiunt ſchirroſi, oriuntur bubones inguinales." Stork. l. c.

thram aut vaginam immitti illum cum jubeat, modum tamen ſervandum addit *.

QUIS SIT ADSRTINGENTIUM IN FLUORE ALBO USUS.

FLUOR albus uteri morbus eſt, qui raro juniores, multo ſaepius provectioris aetatis, et partum jam ſaepius enixas, exercet. Difficillima ejus cura eſt, ſteriles plerumque eo ſunt affectae †. Quod ad notas attinet, quibus ab aliis omnibus morbis diſcernitur, diſſenſiſſe medicos dicere, et proprium perſequi propoſitum, ſatis eſt ‡.

SI materies diu jam fluxit, ut in veteri ſanguinis profluvio dictum eſt, caute ſupprimendam judico. Si quod ſanguinis vitium eſt, revocandus is ab utero eſt, idoneaque medicina, motu et victu, vitium corrigendum. Si haec omnia ſatis diu

" * Poſſunt quoque tuto adhiberi injectiones adſtringentes, " modo ſemen ab omni ſemineo venereo commune ſit, et perinde poſſit ſine periculo intus contineri."

" Sed ea caute et parce adhibeantur velim, ne acrimonia " phlogoſin excitent, vel repentina nimiaque adſtrictione, pro " ſtatarum et veſicularum ſeminariarum emiſſaria nimium " conſtipent." Aſtruc. l. c.

† Aſtruc. de mal. de fem. vol. 2. p. 219.

‡ De variis opinionibus, vid. Aſtruc. l. c.

diu adhibita morbum non vicerunt, uterus vero neque intumuit, neque exulceratus eſt, mediocriter adſtringentia, quod reſolutum vaſorum eſt, id recte roborabunt. Si tumores cum ulceribus uteri morbum excitarunt, adſtringentibus omiſſis, magis idoneum auxilium tentandum eſt. Cicuta ſimilia huic mala ſanaſſe dicitur.

Recentem adhuc morbum, alvum ducentia, quibus Adſtringentia adjecta ſunt, tollere, ſolutis vaſis firmatis, poſſunt.

Quo modo secretiones et sanguinis fluxus ab adstringentibus excitentur.

Proxime oſtendendum eſt, adſtringentia contrarium efficere, ac excretiones et ſanguinis profuſionem excitare. Verum tamen diverſum hoc pro diverſo corporis ſtatu fit. Modo enim adſtringentia alvum, quod plerumque fit, comprimunt, modo eandem reſolvunt *. Pari ratione ſanguinis fluxum ſaepe ſedant, ſaepe augent. In officinis noſtris ex ferro parata, alia aperientia, alia adſtringentia, nuncupantur. Quae utique diverſitas in ipſis paratis conſiſtere non videtur. Perſuaſum

* Turnefort. hiſt. des plantes qui naiſſent d' environs de Paris. Pref.

Perſuaſum nunc medicis eſt, eam in diverſo corporis ſtatu poſitam eſſe. Si fluere ſanguis deſiit, quia vel totum corpus, vel pars aliqua imbecilla nimis ſunt, iterum fluet, ſi haec fuerint roborata. In chloroſi morbo, ubi propter univerſi corporis languorem menſtrua non fluunt, corpus roborantia, exercitatio, victus idoneus, atque ex chalybe adſtringentia menſtrua movebunt. Itaque ſi inteſtinorum imbecillitas alvum coegit, iiſdem robur renovatum hanc reſolvet. Ergo quoties naturalem excretionem imminuit aut repreſſit corporis imbecillitas, adſtringentia cum exercitatione et ſimiliter roborantibus ſaepe eam reſtituent.

In calculosis adstringentia quid agant.

Calculosis quis adſtringens quicquam prodeſſe poſſe ſperet, certe ratio renuit, ſed ratione gravius experientiae teſtimonium contra eam ſtat *.

Quae

* "Tum mirari ſatis nequeo qui factum, ut plerique, ſi non "omnes, quotquot de calculo humano ex inſtituto commentati "ſunt, adſtringentia vel ſicco plane praeterierint pede, vel ne-"gligentius certe commendaverint, cum praeſertim et idoneis "rationibus demonſtrari, et ipſa experientia confirmari poſſit, "adhibitis adſtringentibus non parum, idque tuto ſatis, in pellen-

"dis

Si adſtringentia calculum non ejiciunt, quod utique feciſſe dicuntur, veriſimillimum eſt, eadem dolorem tamen lenire, et interdum prorſus tollere poſſe. Ita uva urſi *, auctore De Haeno, quae adſtringens et amarum corpus eſt, dolorem ſaepe leniit, ſaepe ex toto conſopivit, idque calculi figura neque mutata, neque imminuta, ut demiſſo poſtea in veſicam cathetere plane apparuit. Eodem quoque hoc Heucheri teſtimonium ſpectat.

" At quantum," ait, " illa adſtringunt tantum
" etiam unanimi omnium conſenſu calculum pel-
" lent; id quod vel inde intelligas, quod ab ulti-
" mis inde artis noſtrae incunabilis, ad haec uſ-
" que tempora, vix pulvis aliquis lithontripticus
" praeceptus fuerit, quem vel illa adſtringentia,
" vel quaedam certe ex iis non fuerint ingreſſa."
Et hujus explicandi cauſa, addit, " per adſtringen-
" tia viis, per quas eundum calculis, tonum
" reſtitui, eamque ob cauſam calculum per ad-
" ſtringentia profligari poſſe (*a*).

Verum

" dis calculis, cum poſſe effici, tum effectum ſaepe fuiſſe, ut reli-
" quis omnibus, in parte curandi calculi, remediis longe praefe-
" renda eſſe videantur." Joan. Henric. de Heucher. op. L. 1745. tom. 1.

* Quot calculoſos morbos haec ſanarit in hujus viri Ratione Medendi reperies.

(*a*) Heucher, lib. cit. p. 261.

Verum qui reputet, poſſe omnia incommoda, calculo neque ſoluto, neque ejecto, levari, is actionem adſtringentium in hoc morbo explicatu difficillimam fatebitur. Certe difficilior ejus ratio eſt, quam ut evolvi a nobis poſſit.

In inflammationibus quae praestent adstringentia.

Aliis in inflammationibus alia adſtringentium genera adhibita ſunt. Atque in iiſdem, aliis temporibus, eadem aliud efficiunt. Sic lippitudini ſaepe opitulata ſunt, ſaepe contra nocuerunt. Quibus vero temporibus adhibenda ſint, difficile dictu eſt; variarunt ea pro variis de morbo conceptis opinionibus. Sed neque has neque quamlibet de inflammatione omnino rationem attingendam hoc in loco putavi. Pauca proponam, quae aliqua ex parte ad idoneum adſtringentium uſum ducant, neque univerſam eorum in his morbis actionem tamen patefaciant.

Cum inflammatio aliqua recens in pleno corpore eſt, ſanguis recte mittitur, et antiplogiſtica, quam dicunt, ratio ſequenda eſt. Quae ſi inflammationem non ſuſtulerunt, neque pulſus auctior quam pro modo naturae eſt, adſtringentia prodeſſe

deſſe poſſunt. In ſenibus inflammationes minus ſanguinis miſſum, quam in junioribus et plenioribus, fere requirunt. Verum, ſi febris toto corpore eſt, dum haec manet, adſtringentibus omnino abſtinendum eſt. Ubi ea quievit, inflammatio autem ſolum in debilitatis vaſis conſiſtit, illis liberrime uti licebit: Vaſiſque ab his roboratis, optimum quidque ſperari poteſt.

Hi morbi fere ſunt, in quibus vel uti adſtringentibus, vel fugere ea conveniat. Non omnes, ſed maximam eorum partem ſupra comprehendi. Prius vero quam huic ſermoni finem imponam, pauca dicenda ſunt

De pharmaceutica adstringentia parandi ratione.

Ex foſſilibus adſtringentibus alumen et ferrum variis modis parata ſunt. Alumen, quod ſalinum eſt, ſolvere aqua aut aqueum quidvis poteſt; itaque ſero lactis ſolutum commode ſatis dari conſuevit.

Duplici forma ferrum dari ſolet, ſcilicet, vel in ſtatu metallico, vel in ſalinum ſtatum per acida mutatum. Si metallicum datur, ut acidum ventriculi

ventriculi in ſalem id convertat, adeoque efficacem medicinam reddat, neceſſe eſt. Itaque incertiſſime, et pro acidi in ventriculo concluſi copia, tantummodo aget. Ferrum prout e terrae viſceribus effoditur, variis rebus immixtis, qualis haematitis eſt, ab acido ventriculi minus ſubigitur, cumque ejuſdem hujus acidi in variis ventriculis varia copia ſit, ut varie quoque illud agat neceſſe eſt.

Cum metallinum datur, in minimas partes, quo citius ab acido in ventriculo ſubigatur, dividi oportet. Ergo ratio Lemeriana per aquam in pulverem id conterendi optima videtur (*a*).

Altera ex ferro parata ſalina ſunt, quorum certior in ventriculo actio futura eſt. Sales autem, qui metallo accedere ſolent, acidum vitriolicum aut marinum plerumque ſunt (*b*). (*c*).

Haec ferrea ſoluta unum hoc incommodum habent, ut, cum diutius quieverint, metalli partem rubiginis inſtar praecipitent, unde medicamenti inaequalis actio ſit.

Adstringentia

(*a*) Memoir. des l'acad. des ſcienc. 1735.

(*b*) In vitriolo Martis ſeu ſal. chalyb. Edin. pharm.

(*c*) In tinct. Mart. ibid.

Adstringentia ex plantarum generibus parata, variis modis hic tacendis, dantur. Ac vel integra vel liquore aliquo ſoluta adhibentur. Si opus eſt ſolutis, vires eorum diverſi liquores, ſaepe alcohol, multo ſaepius aqua, extrahere poſſunt. Triplici modo ſolvit aqua, per frigidam macerationem, per infuſionem, per decoctionem, ut chemici loquuntur.

In depſendo corio, adſtringentiſſimum quiddam, per frigidam macerationem, effici videmus; quid igitur obſtet, quo minus idem in medicina fiat? Duodecim horarum maceratio tam adſtringens aliquid efficiet, quam per infuſionem aqua fervens quatuor horarum ſpatio, ut ipſe ſum expertus.

Decoquendo adſtringentium vis non rite exhibitur, quod ſi diutius decoctum eſt, adſtringens vis aliqua ex parte peribit. Omnia ex herbis adſtringentia tum certiſſime agunt, cum ſicca maxime dantur.

Exactis cum hoc ſermone Studiorum in his illuſtribus ſcholis temporibus, Praeceptoribus meis, diſciplinae per quatuor annos fideli cura traditae, multorumque in me collatorum beneficiorum, debitas ex animo gratias ago. Certe quaecunque me terrarum orae proximè exceperint, ubi ubi aevi quod reliquum eſt, acturus ſim, illo-

rum mihi memoriam jucundam fore, imaginem quaſi praeſentium animo uſque informatum iri, neque ullo die, bene quae meruerint, hoc pectore lapſura eſſe promitto.

Nec juvenum coetus, qui medicinae rationis excolendae cauſa, ſeptimo quoque die inter ſe in Noſocomio regio conveniunt, ac quorum ego in numero per triennii ſpatium fui, deceſſurus, non mentionem non facere poſſum.

Celeberrimis academiae ſcholis haec quaſi alia accedit: aut, quia nihil ibi docetur, ſi ſchola dicenda non ſit, is certe locus eſt, ubi audita a doctoribus, e libris petita, undecunque accepta ad medicinam pertinens diſciplina, in medium prolata, ac ultro citroque in contrarias partes diſputando agitata, altius in omnium animos influunt, ubi juventutis ſtudia gloria incenduntur, ingenia exercitatione acuuntur, animique ad multiplicis ac ſpinoſae ſcientiae quaerendae laborem perferendum, propoſitis ex ſuo ipſorum numero exemplis pulcherrimis, perpelluntur; poſtremo ubi omnes inter ſe mutuae amicitiae firmiſſimum nectit vinculum. Floruit triginta prope annos hic juvenilis circulus, et ut aeternum floreat, precor.

FINIS.